Q. D. B. V.

CONSENSU ET AUTORITATE ILLUSTRIS AC GRATIOSISSIMÆ IN FLORENTISSIMA AD SALAM ACADEMIA FACULTATIS MEDICÆ,

PRÆSIDE

GEORGIO WOLFFGANGO WEDELIO,

MED. DOCT. CONSILIARIO ET ARCHIATRO DUCALI SAXONICO, THEORETIC. PROFESSORE ORDINARIO, ET S. R. I. NATUR. CURIOS. ADJUNCTO,

DISPUTATIONEM INAUGURALEM

DE

SCORBUTO,

PRO LICENTIA

SUMMOS IN ARTE MEDICA HONORES, INSIGNIA AC PRIVILEGIA DOCTORALIA, MORE MAJORUM SOLENNI AC LEGITIMO, CAPESSENDI,

Publico Jatrosophorum examini proponit

CONRADUS RUDOLPHUS Hertz/

ERFFURTENSIS,

in Auditorio Majori,

ad d. Jul. Anno M. DC. LXXXVII.

Horis ante & pomeridianis.

Literis GEORG. HEINR. MÜLLERI.

SERENISSIMO AC CELSISSIMO
PRINCIPI AC DOMINO,

DN.
FRIDERICO
CASIMIRO,

in
LIVONIA
CURLANDIÆ AC SEMGALLIÆ
&c. &c.
DUCI,

PRINCIPI AC DOMINO SUO
CLEMENTISSIMO,

Inauguralem hanc Disputationem
Medicam
submissâ animi devotione consecrat
SERENISS. EIUSD. CELSITUD.
humillimus cliens
Conradus Rudolphus Hertz.

Proœmium.

EA eſt corporis noſtri conditio, ut quamdiu viſcerum unumquodque ſuis bene præeſt muniis, totum corpus bene habeat, ſucci laudabiles generentur, humores eorumq; δυνάμεις bene ſint commenſuratæ, neceſſariæ miſtionis & confœderationis leges ſub Archæi dominio ſerventur, actiones omnes in tota machina optime peragantur, nulla moleſtia ſentiatur, ſed omnia potius pacate tranſigantur,& ſummum inde corporis bonum SANITAS redundet. Quamprimum vero è contrario viſcera in officio ſuo deficere incipiunt, corpus male habet, ſucci vitioſi colliguntur, ſalutares naturalis mixtionis leges violantur, humores eorumque ἀκρότητες ſeceſſum & διαχώρησιν ab invicem meditantur, loco laudabilis prioris temperiei, κράσεως & æqualitatis, nociva & da-

mnoſa intemperies, ἀκρασία & inæqualitas emergit, adeo ut quæ antea mixtione & mutua inter ſe contemperatione neque cernebantur, neque quenquam moleſtiâ afficiebant, jam ſecreta ac per ſe exiſtentia & conſpicua fiant, & variis corpus moleſtiis excrucient; Ex qua eminentiâ & heterogeneitate ſive humorum, ſive particularum in iis contentarum, naturæ adverſâ & morbificâ, quatenus modo calor, frigus &c. modo aſperitas, durities, viſciditas &c. modo ſalſedo, amarities, aciditas &c. prædominium obtinent, varios morbos variaque ſymptomata oriri neceſſe eſt. Luculentum præ omnibus aliis hujus rei exemplum nobis ſiſtit SCORBUTUS, cujus naturam & curam intimius ſcrutari, &, juſſu Gratioſiſſimæ Facultatis Medicæ, loco Diſputationis Inauguralis proponere animus eſt. Faxit Divinum Numen, ut & hic & reliqui noſtri labores eveniant feliciter!

CAPUT I.

De Definitione.

JUbente Methodo hactenus receptâ & convenienti à NOMINIS DEFINITIONE initium facimus, cum hujus explicatione aliquo modo in rei ipſius quidditatem ducamur: optandum vero eſſet, ut nomen aliquod haberemus, quod hu-

jus affectus naturam ac essentiam exhauriret, ex omnibus tamen, quæ ei attribuuntur, nullum hanc prærogativam sibi vindicare potest.

Communissimum ex istis, quo Medici hodierni utuntur, quodque civitate Latinâ donatum est, dicitur SCORBUTUS, nomenclaturâ hac sive à Belgis, sive à Saxoniæ inferioris incolis, qui eum Schorbuyck aut Schorbuck nominant, derivatâ, rationeque appellationis ab infimi ventris dolore, accidentium communissimo, ductâ, quod ventri magnos cruciatus, sævissimaque tormina inferat.

Nonnullis, præcipuè Antiquioribus vocatur Stomacace, quasi στόματος κακία, quia plerunque gingivas erodere, fœdissimâ putredine inficere & dentes vacillantes reddere solet.

Iisdem etiam audit Scelotyrbe, Σκελοτύρβη, quasi crurum turbam ac resolutionem dicas, quod pedum robur infringere, eorumque extimam vestem maculis puniceis pingere observetur.

Utrumque vitium & gingivarum exulcerationem & pedum solutionem nonnulli ut exprimerent, Gingipedii nomen invitâ licet Minervâ in medium adduxerunt.

Q. Serenus Empiricum Marcellum secutus Oscedinem appellat.

Hinc Oscedo fugit, linguæ quoque vulnera cedunt.

Hippocrates affectum hunc duobus locis, ubi de magnis Lienibus & Volvulo Hæmatite tractat, accurate & perspicue describit, quæ causa, quod nos eundem non pro novo morbo, uti quibusdam medicorum placuit, habeamus, sed Veteribus satis cognitum fuisse, quamvis sub alio nomine, nobis firmiter persuadeamus.

Breviter nunc iis visis, quæ de Nomine adduci merebantur, ad DEFINITIONEM REALEM nos conferimus. Licet verò difficillimum sit omnem prolixi hujus affectus ambitum descriptionis quodam comprehendere compendio: nihilominus tamen, præmissâ distinctione inter Scorbutum latentem & patentem, sibi relictum, & cum aliis morbis complicatum, sequentem damus descriptionem.

SCORBUTUS eſt vitioſus corporis habitus, variorum atq; graviſſimorum ſymptomatum concurſu, præſertim gingivarum eroſione crurumq; debilitate ſtipatus, tam à ſuccorum vitalium ſingulari dyſcraſia, quam viſcerum coctioni inſervientium enormi depravatione & anomalia dependens.

Loco Generis poſuimus habitum corporis vitioſum, ceu commune omnium morborum generi vocabulum, nihilq; impedit, quo minus affectus hic & ad morborum & ad ſymptomatum claſſem, diverſo tamen reſpectu, poſſit referri, imo omnia ſumma morborum genera, & quamplurimorum ſymptomatum congeriem complectitur. Neque enim ſolum Intemperiem univerſalem malignam ſine febri, verum etiam hinc inde Conformationis vitia, & non unam ſolutæ Unitatis ſpeciem fovet. Quam multorum inſuper & omnis generis ſymptomatum concurſus in eo deprehendatur, ex inferius dicendis affatim patebit; ex tantâ interim συμπτωμάτων συνδρομῇ ea brevitatis ſtudio ſelegimus, quæ præcipua fere ſunt & agmen ducunt, quæque ſynecdochice aliquando pro ipſo Scorbuto uſurpantur.

Ut vero habitus ille vitioſus corporis ceu res aliis quoq; affectibus præternaturalibus communis debito modo reſtringeretur, reliquis in deſcriptione additis quendam quaſi conceptum contrahentem & differentialem expreſſimus, cujus ulterior explanatio ex ſequentibus commode hauriri poterit.

CAPUT II.

De Subjecto.

DE Subjecto hujus Affectus dum agunt Autores, non conſentiunt ſibi invicem, ſed in diverſas abeunt ſententias: Quidam accuſant præcipue Lienem, quem alii defendunt acriter, alii culpam rejiciunt in Hepar, alii in Ventriculum, ejusque continuationem Inteſtina, alii in Sangvinem in vaſis ſplenicis & epigaſtricis contentum, iterum alii Omentum, tandem alii Pancreas in culpæ partem adſciſcunt. Verum

non

non unam, ſed plures partes in complicatiſſimo hoc affectu peccare, & ſymptomatum varietas malique contumacia teſtatum eunt.

Statuimus autem SUBJECTUM PRIMARIUM & Principale hujus affectus eſſe Maſſam ſangvineam, in qua ſalia coacervata ſunt, & quidem non uniusmodi, ſed modo acida, fixa, tartarea, modo bilioſo charactere tincta, volatilia, alcalina. ADÆQUATUM vero tum totum corpus, ejusque partes ſingulas, quatenus à ſangvine afficiuntur, tum præcipue partes primæ & ſecundæ coctioni inſervientes, quatenus in iis primæ morborum radices aguntur, & ſenſim atque ſenſim horum culpâ ſangvini ejusmodi δυσκρασία & ſalina diſpoſitio morboſa conciliatur.

Ex his primo nominari meretur VENTRICULUS, ceu originale & generationis ſubjectum, ubi prima ſtamina & fundamenta refractarii hujus morbi ponuntur: certum enim eſt, nullum dari morbum chronicum, ubi non malum ſit in Ventriculo & ejus pravâ digeſtione. Hic ſicuti in naturali ſtatu ceu fidus œconomiæ animalis promus condus aſſumpta ore alimenta, & beneficio humiditatis ſalivalis primo vitalitatis charactere ſigillata in cavitatem ſuam multiplici fibrarum robore inſtructam recipit, blando & naturæ amico ſuo calore fovet, digerit, & vi fermentationis feliciter ſolvit, repagula eorundem reſerat, & in maſſam uniformem, cremori ptiſanæ ſimilem, redigit, ut ita ab inutilibus ac feculentis partes alimentorum corporis nutritioni inſervientes ſecedere poſſint, & dein accedente in inteſtinis ulteriori ex affluxu bilis & ſucci pancreatici fermentatione neceſſaria σύγκρισις & διάκρισις actu celebrari, & ſic laudabilis nulliſque heterogeneis particulis inquinatus chylus in vaſa lactea promoveri queat; ita idem Ventriculus in ſtatu præternaturali ubi Chylificatio eidem propria actio imminuitur vel depravatur, ſicque alimenta aſſumpta non bene recludi, homogenea ab heterogeneis non rite ſeparari, nec radicalis ex iisdem eſſentia & deſideratum ſangvinis elementum elici poteſt, variorum morborum & ſymptomatum in affectu hoc noſtro præcipue ſe

ex-

exſerentium primarius ac præcipuus exiſtit autor. Sub hoc enim læſæ Chylificationis ſtatu, ſive abolita, ſive imminuta, ſive depravata fermentatio fuerit, alimenta certe ſufficienti licet temporis ſpatio in ventriculo retineantur, cruda tamen, aut minus profecto, uti decebat, immutata vel ἄνω vel κάτω iterum excernuntur ſine omni ſpe nutrimenti vel roboris, nec enim corrigi poteſt in ſecundâ & tertiâ officinâ, quod in primâ culinâ contractum eſt vitium. Hinc debitâ coctione non obſervatâ partes chyli tenuiores & ſpirituoſæ juſto citius elabuntur, ſanguinemque tenuiorem, calidiorem, volatilioremq; producunt, unde φλογώσεις æſtusque vagi poſt paſtum ſe produnt, nec minus ab augmento hoc caloris præternaturali ſpiritus magis diſſipantur, fibræ laxiores & magis flaccidæ evadunt, elater & tonus ventriculi remittit, ut debita hinc propulſio contentorum fieri nequeat, quæ in ventriculo reſidua in acidam, viſcoſam, auſteram & pontici ſaporis materiam degenerant, pondere ſuo tonum Ventriculi laxiorem reddunt, partim viſciditate ac glutinoſitate ſuâ plicis ejusdem ſe inſinuant, parietes aggravant, diſtenſiones continuas, borborygmos, murmura & flatus inducunt, partim aciditate, acerbitate & particularum ſulphurearum corruptione ructus acidos & nidoroſos, cardialgias & obſtructiones alvi ſæpe pertinaciſſimas progenerant, prout ſcilicet vel cruditas Pituitoſa, Acida, & preſſo pede ſequens μόλυνσις, vel Nidoroſa magis producta fuerit.

Vitia hæc ventriculi in reliqua etiam propagantur ſangvinis depurationi inſervientia viſcera. Sic Hepar, quod ob copioſiſſimos ſuos acinos glandoſos obſtructionibus facile obnoxium eſt, ſive lympham & particulas ſanguinis ſeroſas non legitime diſpenſet, ſeu ſulphur ejusdem & particulas oleoſas, acriores, volatiles non rite ſecernat, plurimum ad affectus hujus productionem confert, totumque corpus, ſi intemperatum fuerit, impuritatibus replet, unde etiam regula Practicorum veriſſima eſt, in omnibus ſangvinis impuritatibus ad Hepar eſſe reſpiciendum.

Lienem hoc in morbo ab omni culpâ abſolvere velle, ineptum

eptum eſt, ejusdem potius incrementum non raro promovet, quatenus conſiſtentiam debitam ſangvini non amplius fœneratur, ſed ut vel coaguletur & grumeſcat, vel fluxilior fiat & rarefiat nimis permittit. Dum enim vel alcalinas vel acidas & his connexas tartareas ſeri particulas non ſeparat, evadit fons lixivi, fons acidi, fons ſalium & ſcaturigo noſtri affectus.

Ipſum etiam PANCREAS affectui huic augmentum, addit, dum ſuccum ſuum lymphaticum variis ſalibus, modo acidis, modo alcalinis inquinatum inteſtinis ſubminiſtrando, & vitioſam cum bile huc confluente fermentationem excitando, utilium ſequiorum ſeparationem non rite præſtat, chylum inquinat, & ſæpe obſtructionibus vaſorum lacteorum anſam præbet.

CAPUT III.

De Cauſis Immediata & Mediatis Proximioribus.

CAUSAM IMMEDIATAM aſſignavimus ſuccorum vitalium ſingularem dyſcraſiam, & viſcerum coctioni inſervientium enormem depravationem ac anomaliam. CAUSARUM vero MEDIATARUM PROXIMIORUM vicem obire poſſunt, omnia, quæcunque ſuccos vitales deturpare, & viſcera de tono ſuo dejicere valent, quæ inter meritiſſimo ſuo recenſentur ſalia, nunc cauſæ, nunc effectus ſpeciem præ ſe ferentia, quatenus modo acida magis & auſtera, modo alcalina, inprimis volatilia, acria & corroſiva ipſo actu maſſæ ſangvineæ, viſcerum totiusque corporis κρᾶσιν & conſtitutionem naturalem evertunt.

Cum itaque conſtet, Maſſam Sangvineam principaliter in hoc affectu mirum in modum defœdari, doctrina de humoribus Cauſarum Mediatarum Proximiorum evolutioni magnam affundet lucem. Humores ſiquidem, teſte *Hippocrate lib. de Nat. Hum.* omnium morborum generationem accelerare, poſſunt, quatenus eorum aliquid aut minus fuerit aut amplius, aut ſeparatum in corpore & invicem non rite contemperatum.

Veriſſimum eſſe effatum hoc *Hippocratis* Affectus etiam noſter demonſtrat, utpote qui à ſolâ heterogeneorum humorum vitioſa mixtione primam ducit originem, qui deinde ſuas adepti δυνάμεις & ἀκρότητας varie in corpore tumultuantur, variasque inferunt moleſtias.

Inter hos autem non excrementitii ſolum, verum etiam alimentarii referendi ſunt: Ambo ſiquidem in primis digeſtionum officinis plus minus vitiati & modo viſcidi, modo acidi vel acres facti, ſuam impreſſam vitioſam qualitatem ſervant, nec in reliquis coctionibus ad frugem meliorem ſe reduci patiuntur; hinc fit ut conſueto circulo per univerſum corpus moti tot ac tantis malis nunc has nunc illas partes afficiant.

Etenim vel in ipſo maſticationis actu id emicat, ſi ſaliva fermenti characterem gerens non bene habeat, ſed vel viſcida nimis, ſalſa vel juſto acidior ſit, ejusdem vitii notas cibis conficiendis inurens, ut non legitimè in ore attenuati nec debitè ſpirituaſcentes malè in ventriculo digerantur, & nil niſi cruditates, maſſam indigeſtam & ſalia fixa exhibeant.

Ipſum etiam ſtomachi fermentum quoties vel ob dicto modo depravatam ſalivam corrumpitur, vel proprio vitio ſucci ex tunicâ ventriculi interiori glandulosâ continuo expreſſi, vel nimiis & inconvenientibus ciborum reliquiis acribus aut viſcidis adulteratur, optimos etiam cibos coctioni ſuæ concreditos corrumpit, & loco chyli laudabilis ſuccum plus minus depravatum, cruditates & ſalium nocivorum apparatum producit.

Si denique fermentatio inteſtinalis ſymbolum ſuum quoque adjiciat, dum bilis vel iners & alcali ſuo orbata in officio ſuo deficit, vel ſulphureâ ſuâ parte luxuriat, intenſiusque alluentem liquorem tingit, vel acredine nimiâ ſtimulat, & bona mixta malis ad orificia vaſorum lacteorum protrudit: ſive etiam ſuccus pancreaticus acore nimio peccet, depravatio illa ſucci nutribilis magis magisque adaugetur, & per vias ordinarias in totum corpus derivatur.

Pars namque tenuior, fluidior & ſpirituoſior in minutula

venarum lactearum orificia ſe inſinuans, & hinc ſangvini in venâ axillari commixta eidem aptitudinem quandam ad coagulandum aciditate ſuâ infert, qua fit minus fluxilis, adeoque in vaſis minoribus congelari aptus, ob quam etiam acidam διάϑεσιν æquali circulationi inidoneus efficitur, & dum per minutulos venarum & arteriarum ductus movetur, ſæpe aliquid ad latera eorum ac præcipuè valvularum, quibus à providâ Naturâ venæ muniuntur, relinquitur, quod deinde ſucceſſu temporis circulationem magis magisque impediendo ſtagnationes generat, & obſtructiones quam maxime dolorificas, cujus rei mechanica in aquæductibus quotidie obſervari poteſt.

Quod ſi autem loco acidarum acres, bilioſæ & alcalinæ potius particulæ ſangvini commiſceantur, in contrarium eundem præcipitant vitium, ut ſicuti antea acidus, glutinoſus, fixus, auſterus, & obſtructionibus generandis idoneus erat, nunc juſto tenuior, lixivioſior, volatilior, acrior & eroſionibus pariendis aptus exiſtat.

Caput IV.

De Cauſis Mediatis remotioribus & quidem Naturalibus.

INter Causas Naturales primo occurrit Temperamentum, quod ſicuti certam ſangvinis & ſeri proportionem indicat, ita aliud præ alio ad morbum hunc proclive eſt. Præ cœteris vero ad Scorbutum diſponit Temperamentum Frigidum & Humidum, nec non Frigidum & Siccum, quippe quæ facilius malo huic fores aperiunt: Utrumque vero vel ex depravatâ viſcerum conſtitutione, vel ex hæreditariâ diſpoſitione.

Depravata viſcerum conſtitutio plerumque à rerum nonnaturalium conſimili διαϑέσει dependet, unde ſi ventricul⁹ ex cauſis ſupra allegatis in digeſtionis opere aberrat, & loco chyli volatilis potius ſuccum craſſum, crudũ, ſalibus fixis, tartareis & acribus inquinatum corpori transmittit, non tantum ille viſcera ſangvi-

nis depurationi inservientia misere devastat, ut muneribus suis obeundis plane inepta fiant & indispoſita; verum ipsum etiam sanguinem & lympham salibus suis peregrinis & vitiosis deturpat, ut tota massa sangvinea salsa & tartarea reddatur, & proinde tale scorbuticum malum progeneretur.

Hæreditariam autem dispositionem hîc locum invenire, nec Ratio nec Experientia, duo Medicinæ fulcra, nos dubitare sinunt, hinc recte *Mantuanus*:

Qui viret in foliis venit ab radicibus humor,
& patrum in natos abeunt cum semine morbi.

Si enim virtutes & vitia per potentiam quandam hæreditariam transplantari, & à parentibus in sobolem propagari concedimus, multo magis morborum quædam genera hæreditario infelici tamen jure à parentib⁹ per vim plasticam cum sobole comnicari posse fatebimur, præcipue cum quasdam cernere liceat familias, quarum singulis peculiare quoddam morbi genus ita est familiare, ut omnes de eádem stirpe sati iisdem fere morborum symptomatibus corripiantur, adeo ut in certorum morborum curatione quærere conveniat, an reliqui ex familia etiam eo morbo affligantur: Quicunque enim morbus in sero & sangvine utpote principiis vitalibus intimius radicatur, illius vitium & contagium propagari potest.

Conferre autem hîc suum symbolum potest uterque parens. Mater enim sive in utero sanguinem tali peregrino sale fœtum suppeditet, sive extra uterum lac iisdem qualitatibus depravatis infame propinet, statim infantulo propensionem hanc morbosam inducit: Pater vero licet semen ad generationem conferat, quod non quoad ὄγκον seu molem, sed quoad ἐνέργειαν seu virtutem tantum concurrit, nihilominus tamen spiritus ille genitalis morboso hoc charactere sigillari potest, quem vitiosæ διαθέσεως characterem dum contagio suo uterum fœcundat, omniumque partium ideam exprimit, una cum eâdem explicat & imprimit.

Nec obstat transplantatæ morbificæ dispositionis seminium ad complures annos in quibusdam delituisse, in quibusdam

vero

vero plane exspirasse, cum valida corporis constitutio, virium robur & bona diæta noxam hanc à parentibus contractam vel ad tam longum tempus differre, vel etiam plane corrigere & abolere potuerint.

ÆTATEM quod attinet, nulla ab hoc malo libera est, laborant eodem infantes, pueri, juvenes & senes, in infante II. III. V. annorum eundem observavit Magnif. Dominus Præses, Dominus Præceptor & Promotor meus devinctissimo gratissimoque pectore ætatem maxime colendus, licet pro ratione temperamenti & usu rerum nonnaturalium alii citius, alii tardius, alii levius, alii gravius eo corripiantur. Incrementum autem sumit, altioresq; radices agit succrescentibus annis, adeò ut qui primo levior videbatur affectus, successu temporis sat gravis & vix corrigibilis evadat.

SEXUS nulla ratione habitâ hic morbus aggreditur tum Viros tum Fœminas, quas tanto vehementius exercet, quod omnem morbum bis patiantur, quin etiam naturâ præ viris proclives ad hunc morbum videntur, quod & rarioris sint texturæ quam viri, & simul serosiores, si non temperamento nativo, tamen adscititio, vita enim earum sedentaria est, domestica, & quieti dedita, unde calor nativus non excitatur & roboratur, sed deprimitur potius & sufflaminatur.

CAPUT V.

De Causis Mediatis Remotioribus Nonnaturalibus.

MAgna & CAUSARUM REMOTIORUM vis atque activitas est in nostrum corpus, ut sæpe illæsis adhuc & bene moratis visceribus, sibique constante naturæ œconomiâ proprio vitio Scorbuticam hanc labem inducere aptæ natæ sint: Ex his primum considerandus est

AER qui sicubi frigidus, humidus, crassus, nebulosus, turbidus, fuliginibus refertus, densus, uliginosus, putridus, salsaque

 acidi-

aciditate imprægnatus fuerit, facile putrilagini & cacochymiæ scorbuticæ obstetricatur, quatenus spiritus inficit & obscurat, sanguinem & humores corrumpit, coagulat & condensat, calorem nativum debilitat & supprimit, coctionem lædit, supervacuorum viscidorum in ventriculo exortum procurat, uliginosa recrementa in corpore cumulat, totumque corpus ad cruditates generandas aptum reddit, idque tanto evidentius, quatenus per singulas anni tempestates varie alteratur.

Accusantur autem præ reliquis ver & autumnus, quod vere natura quasi rediviva & novo à Sole robore accepto vegeta humores vitiosos per hyemem delitescentes movet, varieque corpus magis vel minus dispositum hinc afficit; Autumno vero, qui tempestatis varietate maxime inconstans & inæqualis est, humores prius expansi concentrantur, corpora calore æstatis laxata frigoris injuriâ afficiuntur, ut semina morborum per æstatem concepta vires sic acquirant.

Et non solum in corpus illapsus, & per vasa pneumonica cum sanguine communicatus noxam infert aër vitiosus, sed extus etiam per poros cutis se insinuando massæ sanguineæ acetosum vel alcalinum statum conciliare potest.

Cumque Aër commune quoddam omnis generis particularum receptaculum sit, non mirum videri debet, si ex locis scorbuto opportunis, lacubus, stagnis, piscinis, fossis domiciliis circumductis, aliisqve locis udis & paludosis, tum maxime ex mari infinitæ elevantur moleculæ crassæ, acidæ, fixæ, salsæ, quibus infectus vim suam elasticam exercere nescius sanguinem potius compactiorem & spissiorem reddit, ex qua causa scorbutus non tantum maris Balthici accolis, verum aliis etiam peculiarium terræ tractuum incolis endemius & familiaris est.

Pertinet huc etiam domiciliorum & conclavium calce vivâ recens obductio, frigidâ enim & salsuginosâ murorum exhalatione morbus hic fovetur, intra tabulata vero mitescit.

Aërem etiam maxime alterant Venti per eas quas advehunt exhalationes ex aquâ pariter & terrâ, & per qualitates, quas acquirunt in locis, quæ perflant, & unde veniunt, varie constitu-

tis.

tis. Præ omnibus autem peccant venti auſtrales, qui ſanitati corporis humani inprimis nocivi exiſtunt.

Aëris etiam adminiculo, qui vector eſt miaſmatum, omniumque halituum & gas capax, malitioſus hic morbus fit contagioſus, ut ab uno in alterum ſerpat, & deteſtabilem ſuam ferociam exerat.

Suſcipiunt hac ratione ſcorbutica miaſmata, quibus perpetuum contubernium & aſſidua converſatio placet, eadem in ſe derivant, qui putridum infectorum halitum improvide admittunt, & quam maximè infectionis periculo ſeſe exponunt, qui à concubitu cum infectis ſibi non temperant.

Pariter inſtillant non ſolum pueris inſontibus nutrices ſcorbuticæ labem hanc una cum lacte, verum etiam per cibum ante maſticatum cum iisdem humorem ſcorbuticum communicant, hauriunt ſalivam ſcorbuticam, qui iisdem poculis, eâdem patinâ, iisdem cochlearibus utuntur, ſugunt eandem, qui oſcula impingunt, alternant & quadruplicant.

Cibus & Potus ſecundum inter res nonnaturales obtinent locum, plurimumque conferunt ad ſanitatem vel conſervandam vel turbandam.

Peccant autem *Quantitate*, dum plus ingeritur, quam concoqui poteſt, ventriculi enim robur ſic infringitur, calor ejusdem obruitur, fibræ relaxantur, ipſe langveſcit, ut nil niſi cruditates acidæ, nidoroſæ ſimilesque corruptiones expectari debeant.

Peccant etiam *Qualitate*, quando cibi mali ſucci, difficilis concoctionis, craſſi, ſalſi, acidi, crudi, infumati aſſumuntur, unde chylus multis particulis crudis, rebellibus, ſalſis & tartareis inficitur & deturpatur.

Peccant tandem *Utendi Modo*, cum cibi diſſimiles, concoctu faciles pariterque difficiles intempeſtive ac citra ordinem aſſumuntur: Cum enim cibi non ſint ejusdem qualitatis, facile quivis videt, unum eundemque caloris gradum omnibus ſufficere haud poſſe, hinc coctionis in ventriculo turbatio & depravatio, indeque emergentia chyli vitia præſto ſunt.

Referri

Referri huc debent compotationes nimiæ, & poculorum certamina, nec non potiones salutiferæ, καθ' ἀντίφρασιν ita dictæ, die Gesundheits Trüncke / non minus etiam Potus Serotini, die Schlaff-Trüncke / qui digestionis negotia interturbant, & cruditatibus ansam præbent.

In specie reprehenduntur inter esculenta panis biscoctus, furfuraceus, non satis aut nimis fermentatus, submucidus, asservatione diuturnâ exsiccatus & arefactus, aliisque modis vitiosus; Carnes duriores, salitæ ac fumo induratæ; Ova indurata vel butyro frixa: Pisces marini viscosiorem vel duriorem carnem habentes, vel fumo aut sole exsiccati, ut aselli, passeres, harengi, muriâ asservati inveterati, inprimis grandiores, tetrum saporem habentes.

His accensendi sunt pisces palustres, lacustres, in piscinis & stagnis lacubusque limosis ac cœnosis viventes, ut tinca, anguilla &c. Hujus commatis etiam sunt ostreæ omniaque testacea & crustacea, puta immoderato & quotidiano usu assumpta.

Nociva etiam judicantur legumina, præsertim non excorticata, pisa, lentes, fabæ, item olera, præprimis brassica muriata, nec non fructus ὡραῖοι, quæ omnia cibos præbent flatulentos.

Lactis usus immodicus insalubris etiam deprehenditur, quibus ventriculus bile vel acido scatet, qualis enim ventriculus, talis est lactis actuatio. Nec caseus inveteratus & acris ab omni culpâ vacat.

Dulcia & saccharata, quibus Boreales & cibum & potum condiunt, affectui huic inprimis etiam favent, in aliis enim verminescunt, in aliis bilescunt, in aliis acescunt, in aliis obstructiones pariunt, cœnosum & lutosum reddendo sanguinem, in aliis denique fermentescunt.

Superfluus aceti usus corpori etiam noxam creat, & in specie fœminis damnosus est, unde etiam ὑστεραλγὲς vocatur.

Inter potulenta ad morbi hujus productionem faciunt vina austera, tartarea, immatura, impura, pendula, crassa, mustum, cerevisiæ recētes, veteranæ, acidæ, non probe defecatæ, lupulo minus conditæ & albæ, ex aqua impurâ, limosâ, aut aliâ quadam

pravâ qualitate infectâ coctæ, quæ præter flatuum & aliorum nocumentorum productionem multum pituitæ, mucositatis, tartari, aliorumque salium in corpus inferunt.

Pertinent huc aquæ nivosæ, crudæ, corruptæ, unde nautæ in Indiam iter facientes utplurimum scorbutici fiunt, quia minus habere possunt recentia alimenta, vel recentem aquam. Ita etiam in obsidionibus (quod Bredæ & Ostendæ observatum) frequenter scorbutus grassari solet, ob aquæ recentis defectum.

Somnus & Vigiliæ, si juxta naturæ leges instituantur, corpus reficiunt, & sanum conservant, si verò alterutrum modum supergrediatur, in corporis detrimentum id cedit.

Somnus enim justo longius protractus calorem obtundit, viscera flaccida reddit, humores crudos cumulat, & spiritus torpidos efficit: Vigiliæ è contrario si in multam noctem continuentur, spirit⁹ dissipant, calorem depauperant, fermenta viscerum enervant, atque humores acriores reddunt, quæ singula quantum ad hujus affectus γένεσιν conferant, in propatulo est, ut rectissime statuatur, affectum hypochondriacum & hujus eminentiorem gradum scorbutum esse sobolem lucubrationum, studiorum intempestivorum, immoderatorum, noctu præcipue initorum & vitæ sedentariæ.

Similiter Motus & Quies etiam attendi debent, à motu enim nimio calor accenditur, partes sanguinis spirituosæ dilapidantur, crassiores, terrestres & tartareæ relinquuntur, totumque corpus pessimè habet. Idem si intempestive & mox à pastu instituatur, excrementitiæ particulæ chylo commixtæ in vasa præcipitantur, sanguinique inferuntur.

E contrario à Quiete excedente & squalidâ, si vita sine omni notabili motione instituatur & sedentaria sit, tardior redditur spirituum animalium motus, insensibilis transpiratio inhibetur, calor obtorpet, humidum stagnat, circulatio impeditur, sanguis in extremis partibus subsistit, fit crudior, pituitosus, fixior & scorbuticus, motus intestinorum peristalticus sufflaminatur, & viscida in intestinis stabulantia non excernuntur, quæ omnia acidam sanguinis διάθεσιν mirum quantum promovere possunt.

Succedunt EXCRETA & RETENTA, quorum absoluta integro sanitatis tenore necessitas est: si vero excernantur, quæ retineri debebant, calor nativus depauperatur, vires infringuntur, & viscerum fermenta debilitãtur, ut facile salia in corpore præsentia concentrari, acui, eminere, & affectui huic fores pandere possint.

Si autem retineantur, quæ excerni debebant, non minor inde noxa timenda est, quam ut præcaveret natura, tot ac tam notabilia excretoria in toto corpore constituere voluit, unde pro sano iste habendus est, qui bene ingerit, digerit & egerit.

Feces alvinæ non debito tempore redditæ concoctionem atque digestionem impediunt, caput variis vitiosis vaporibus replent, humoresque vitales conspurcant.

Urinæ secretio impedita non absimiles morbosos effectus in corpore edit, dum enim serum copiosius redundans sanguini intimius adhæret, nec ab ejus complexibus se extricare valet, cacochymiam scorbuticam parit, diutius retentum acrimoniam acquirit, & sanguinem variis modis depravat.

Mensium suppressio quos tumultus, quas turbas excitare valeat, quotidie cum magno sanitatis dispendio sexus sequior experitur. Dum enim sanguis corpori onerosus inque eo recrementitiæ particulæ nullum inveniunt exitum, stagnant illæ partim circa uteri regionem, partim ad vasa majora & nobiliores partes regurgitant, & dira symptomata excitant.

Simile quid asserendum fere est de fluxu hæmorrhoidum in iis, quibus familiaris est. Hic enim si sufflaminatur, in magnis angustiis constituti sunt ægri, neque sublevantur, priusquam vasa aperiantur, & impetuoso ferventique sanguini exitus concedatur.

Transpiratio sensibilis & insensibilis quemadmodum sanginis ventilationi & depurationi inservit, ita si inhibita fuerit, fuligines massæ sanguineæ retinentur, particulæ serosæ in eâ coacervantur, & ad præternaturalem statum disponuntur.

Spectat huc quoque VENUS, quæ si immodica fuerit, calorem naturalem dissipat, corpus refrigerat & effœminat, ac cruditates inducit. Semen verò justo diutius retentum corpus varie premit

mit ac onerat, acescit, corrumpitur, acrimoniam concipit, & massæ sanguineæ similem labem affricat.

Ultimo loco spectanda etiam sunt ANIMI PATHEMATA & affectus, quorum maxima etiam vis est in corpus & humores tum movendos, tum alterandos. Sicuti enim in gaudio & spe spiritus rarefiunt, expanduntur & humores consequenter æqualiter per totum corpus diduntur; ita è contrario in metu & tristitia, qui pessimi omnium sunt affectus, spiritus concentrantur, obtenebrantur & spissescunt, humores figuntur, de dulcedine sua naturali remittunt, ςάσιν meditantur, acorem vel etiam acrimoniam contrahunt, atque ita morbo præsenti quam maxime velificantur.

CAPUT VI.

De Causis Remotioribus Præternaturalibus.

EXcipit Scorbutus tum alios morbos chronicos, tum inprimis febres intermittentes quartanas, quatenus sale suo volatili & particulis sulphureis blandis orbata massa sanguinea in vappam quasi degeneravit, & liquorem salibus fixis, acetosis, terrestribus, tartareis onustum, unde enatum πόρισμα medicum: Quartana aut invenit scorbutum, aut relinquit.

Cachexia etiam quam facillime in scorbutum transire potest, salibus acidis vel lixiviosis ex humorum serosorum, magis vel minus amurcâ biliosâ fœtorum, stagnantium & pigrorum corruptione & acescentiâ in masâ sangvineâ cumulatis.

Malum Hypochondriacum, vitæ sedentariæ & lucubrationum fidissimus comes & assecla, aut primus gradus est scorbuti, aut certissime, si diutius duret, & radices agat, in scorbutum terminatur.

Et hæ fuerunt affectus hujus causæ tam proximiores quam remotiores, quæ sic quidem satis facile concipiuntur, in primâ vero origine easdem cognoscere valdè difficile existit. Ea enim

est morbi hujus versipellis natura, ut à tenuibus valdè & exilibus principiis ortum sumat, nec prius principalioribus corporis nostri actionibus obesse incipiat, quam totius massæ sangvineæ κρᾶσιν mirum perverterit & deturpaverit, ut vigilantiâ & solertiâ Medici opus sit omninò, ad quam si prudentia & recte faciendorum cupiditas accedat, eò facilius iisdem in tempore occurrere poterit, ne ejusmōdi robur acquirant.

Caput VII.

De Differentiis.

Variæ Scorbuti notantur differentiæ, & quidem

1. ratione Generis: alius scorbutus est incipiens & imperfectus: alius inveteratus ac confirmatus: alius est levis, alius gravis, alius gravissimus seu consummatus.

Alius etiam Scorbutus est endemius, accolis maris Balthici familiaris & patrius; alius sporadicus, hinc inde per Germaniam disseminatus.

2. Ratione Subjecti: alius scorbutus est universalis, qui totum corpus obsidet, alius particularis, qui in certis partibus se exerit, ibique sese manifestat.

3. Ratione Causæ: alius Scorbutus est primarius, alius symptomaticus; alius cum semine à parentibus communicatus; alius cum lacte nutricis instillatus; alius à contagio dependens; alius malâ diætâ contractus.

Sororii etiam sunt affectus, ac magnam inter se convenientiam habent Scorbutus, Lepra & Lues Venerea, in singulis quippe serum est deturpatum, & salibus vitiosis inquinatum, qui propriis suis signis ab invicem sunt distinguendi.

Omnium verò maxime notabilis est distinctio, quæque plurimum utilitatis in medendo affert, quâ distinguitur Scorbutus in calidum & frigidum.

Radicatur autem Scorbutus calidus in acido bilioso, cum particulæ sulphureæ salinis, acidis, acribus magis acuuntur; frigidus vero radicatur in acido sereo, ubi acidum magis peccat.

Scorbu-

Scorbutus frigidus nihil aliud eſt, quam melancholia primi generis morboſa, ſive ſtatus ſeri particulis fixis, ſalinis, acidis, tartareis & fluorem adeptis inquinati; ſcorbutus autem calidus eſt melancholia ſecundi generis, quando minori ſeri diluentis quantitate ſalia acria, acerba, auſtera, pontica ſulphur abundantius bilioſum explicant & corrumpunt.

In Scorbuto frigido ſalia acida, in calido ſalia alcalia prædominantur: In Frigido effectus & φαινόμενα obſervantur frigida, in calido vice versâ calida.

Caput VIII.

De Signis Diagnoſticis & Symptomatibus Scorbuti.

De Signis Diagnosticis Scorbuti acturi maximum quidem eorum offendimus cumulum, ex quibus tamen ſæpè nullum pro vero, genuino & pathognomonico ſigno haberi poteſt, ſed omnia ita ſe habent, ut etiam aliis morbis communia eſſe poſſint.

Quapropter ut eò certiores reddamur in multicipitis hujus Cerberi cognitione, non ad unum ſed ad plura ſigna ſimul attendendum erit, ut quæ non ſignant ſingula, multa notent collective ſumpta & conjuncta.

Diligenter etiam inqvirendum erit, an patiens in tali regione vel aëre ſcorbuto generando apto vivat, aut vixerit? an tali pravâ diætâ uſus ſit? an ipſius parentes huic malo obnoxii fuerint? quibuscum hactenus converſatus fuerit? an juvaminis aliquid & auxilii ex antiſcorbuticorum medicamentorum exhibitione ſentiat?

Deveniendum hinc ad urinæ & pulſus explorationem, quæ reliquis adjungi debent. Urina enim proximius patefacit ſtatum ſanguinis & ſeri, & circa horum elaborationem & ſecretionem verſantium viſcerum: Pulſus autem ut primum & perpetuum eſt mobile, ita de machinæ caloris, vitæ, cordis, & virium tenore teſtatur.

Vari-

Variant autem Urinæ, modo albæ ſunt, craſſæ, crudæ, turbidæ, multo ſedimento, ſæpe etiam arenulis cœnoſis vel durioribus & ſabuloſis conſpicuæ, ut ſi colentur, magna quantitas arenularum colligi poſſit; modo ſunt aqueæ, tenues; modo ſaturatè rubræ & intenſiſſimè tinctæ, ſine calore tamen & ſiti; modo viſcoſæ planè & lentæ tàm in ſenibus quàm juvenibus; modo ſanorum ſimiles exiſtunt; aliquando in iis inſtar pinguedinis apparet ſupernatans tartarus, qui chartæ immiſſæ ſolet adhærere, ruber aut flavus, nitidus etiam atq; ex variis coloribus ad inſtar plumarum in collo anatum deauratus; non raro etiam urinæ excernuntur fœtidæ ob ſtatum viſcerum putredinoſum.

Pulſus utplurimum eſt inordinatus, ſæpe debilis, inæqualis, ſæpe etiam magnus & durus, minor vero & debilior exiſtit imminente animi deliquio: ſæpe ob malum habituatum & radicatum ſanorum ſimilis deprehenditur. Pulſus etiam intermittens, qui à multis pro peſſimo habetur, ſicuti aliàs in pleuriticis, febribus malignis, palpitatione cordis, ita etiam in ſcorbuticis præcipue ſenibus frequenter occurrit citra periculum.

Transgredimur nunc ad ſymptomata, quæ pro diverſo conſiderandi modo etiam ſignorum vices gerere poſſunt. Ea vero omnia hîc enarrari poſſe vix ſperandum eſt, cum ſcorbutus non tam ſit morbus, quam complexus quidam & ſyndrome morborum, radix & ſcaturigo plurimorum ſymptomatum, adeò ut nullus morbus ſymptomatum magis ferax ſit quam ſcorbutus. Recenſebimus autem illorum cōmuniora juxta ſcorbuti ætates, quatenus eſt vel fiens, vel adultus vel conſummatus, ita tamen, ut cuivis illorum ſua maneat latitudo.

Symptomata itaque ſcorbuti incipientis & levioris ſunt flatus & ructus copioſi, cruditatum individui comites, qui non ejusdem ſemper ſunt qualitatis, ſed pro ratione cruditatum alii ſunt ſalſuginoſi, alii nidoroſi, alii inſipidi &c. acidi vero frequentiſſimi ſunt, quod ob debilitatem caloris inſignem plerumque acquirant acorem, cujus ratione etiam non raro cardialgiam inferunt moleſtiſſimam; iidem flatus per coli amplitudinem delati, & propter denegatum exitum hinc inde remeantes murmura & borborygmos inteſtinorum conſtituunt.

Ple-

Plethora ſcorbutica obſervatur, quando ſanguinis quantitati oneroſæ accedit vitioſa qualitas, ſicuti cacochymia ſcorbutica viſitur, quando ſerum à ſtatu ſuo naturali abit, nec ſpiritibus & conſequenter motu ſerenatur, ſed ſalibus ſilveſtribus repletur, quæ pallore faciei, difficili reſpiratione, nonnunquam & tumore pedum ſe prodit.

Sequitur virium languor, laſſitudo ſpontanea & crurum gravitas, cum ambulant, levem ſentiunt punctionem in hypochondriis; pectoris anguſtia per vices affligit, cordis etiam interdum licet tranſitoria urget anxietas, quaſi premeretur diſtenderetur que flatu; in gingivis pruritus percipitur.

Symptomata ſcorbuti progreſſi ſunt major corporis debilitas, brachiorum atqve pedum gravitas major, gingivæ intumeſcunt, fiunt laxæ, flaccidæ, fœtidæ, putrilaginoſæ, ad leviſſimum contactum vel etiam ſponte ſanguinem ſeroſum vel ſalſum effundunt, dentes ipſi nigri evadunt & eroduntur.

Facies ſæpe roſea eſt, ſæpius vero lurida, pallida & ſubtumida obſervatur. Reſpirationis difficultas & præcordiorum anguſtia ingraveſcit, ſuperveniunt graviſſima ventris tormina, nec non dolores in hypochondriis, lumbis, dorſo, inprimis in articulis.

Excreſcit aliquando tumor pedum laxus & œdematoſus, interdum plane abeſt intumeſcentia, & loco hujus crura atrophiâ laborant. Eryſipelas etiam ſcorbuticum hinc dictum ſæpiſſime effloreſcit non tam mobile quam fixum & conſtans, quale circa talum cum cruſtis ſquamoſis non raro obſervatum eſt.

Palpitatio cordis ſæpe infeſtat, ſive à vaporibus acrioribus, ſive à ſanguinis & ſeri potentiâ corroſivâ, ſive à grumis ſanguinis, ſive à motu ſpasmodico ortum ſuum habeat.

Pruritus etiam moleſtus eſt, cui aliquando herpes miliaris ſe aſſociat, & ſub ſcabie ſæpius tam humidâ quam potiſſimum ſiccâ, volaticâ, vagâ & malignâ hoc malum latitare ſolet, ubi ex humorum ad interiora recurſu gravia ſymptomata in corpore excitat, enatâ hinc etiam non raro elephantiaſi Arabum & pſora graviori.

Sym-

Symptomata ſcorbuti inveterati & conſummati ſunt quam plurima & graviſſima. Dolores vagi, varii & longi nunc hanc, nunc illam partem dilaniant, ut ipſum peritonæum aliquando rumpatur, interdum umbilicus ob meſenterii & inteſtinorum convulſionem introrſum retrahatur, & ſæpe hinc colica ſcorbutica oriatur, cui frequenter inſignis ſtranguria conjuncta eſt.

Dolores hi ſcorbutici aliquando etiam ſunt fixi, & artus infeſtant, qui omnium ſunt infenſiſſimi & pertinaciſſimi, diurno tempore quidem acquieſcunt, nocturno autem exacerbantur, quo ipſo doloribus Venereis ſunt ſimillimi.

Obſervantur etiam hi dolores in quampluribus morbis ſecundarii, immiſcet enim ſe ſcorbutus frequenter aliis morbis, ſicut & fœminæ hypochondriacæ ac ſcorbuticæ doloribus poſt partum magis vexantur quam aliæ.

Graviſſima etiam Cephalalgia ægros torquet, quæ & diu perſiſtit, & ſæpiſſime revertitur, aliquando delirium ſcorbuticum poſt ſe traxiſſe viſum eſt. Nec deeſt Odontalgia, quæ per plures ſæpe hebdomades patientes vexat & excruciat.

Catarrhi ſcorbutici admodum contumaces & præ cœteris crudeles ſunt, licet enim uno in loco curati ſint, ſuperſtite tamen in maſsâ ſangvineâ fomite alio in loco facile iterum erumpunt, ſæpe tuſſes ferinas & moleſtiſſimas pariunt. A defluxionibus ejusmodi ſalinis, corroſivis, ſcorbuticis uvula ſæpe laxatur & eroditur, eoque ipſo ſermoni magna vis infertur. Oculi ſuffuſionem patiuntur, aliosque morbos, præcipue inflammationem. Vertigo etiam ſcorbuticis familiaris eſt, nec non auditus difficilis & aurium tinnitus.

Guſtus & ſapor etiam eſt depravatus, & quidem modo ſalſus, aluminoſus, vitriolicus, modo acidus, auſterus & ponticus, modo acris & bilioſus: Aphthæ linguam obſident: Ozæna nares, ſæpe cum corruptione oſſis & ipſarum narium.

Fœtor nauſeabundus modo ex toto corpore exhalat, modo ex ore, pedibus &c. Dentes fiunt aſperi, vacillant, & ex alveolis ſuis excidunt: Eandem aſperitatem præ ſe ferunt ungues in manibus & pedibus: Icterus non tam verus quam apparens cutem tingit.

Sub febrium etiam ſpecie, præcipuè autem intermittentium tertianarum (quæ aliquando frigidæ citra ſubſequentem calorem obſervatæ ſunt) & quartanarum ludit, erumpentibus inprimis maculis ſeu exanthematibus tempore paroxyſmi, cum aliis ſignis cacochymiæ ſcorbuticæ, dolore inprimis hypochondriorum; interdum autem nullius typi curam habent, ſed ſunt inordinatæ, vagæ & inſtabiles, & modo bis, ter & quater de die infeſtant, modo poſt tertium, quartum, quintum, ſextum & ſeptimum diem ægrum exagitant.

Extra febrilem etiam conſtitutionem maculæ & lituræ non tantum in cruribus, ſed & in collo, dorſo, lumbis & brachiis efflorescunt, primum rubicundæ, hinc fuſcæ, lividæ & purpureæ, quæ maculæ nunc evaneſcunt, nunc iterum erumpunt & diu perſiſtunt, aliquando etiam in ſquamulas abſcedunt, quæ à cute poſſunt ſeparari. Maculæ vero hæ ſcorbuticæ non ſunt confundendæ cum petechiis, ad quas tamen ſcorbutici magis ſunt diſpoſiti. Referri etiam huc debet Purpura ſcorbutica & quaſi talis, quæ occurſu frigoris exacerbatur.

Aliquando tam effrenis eſt ſangvinis ὀργασμὸς & calor efferatus, ut cutis & vaſa ſangvinem torrentis inſtar ſponte effundant; ſangvis enim & ſerum acrius, bilioſius, ſalſius affluxum ſanguinis procurant, & διαίρεσιν inferunt, ſalia ſalſa ſanguinem fluxilem reddunt, alcalia eundem rarefaciunt, acida deniq; findunt. Ex eâdem ratione fluxus menſium in fœminis ſcorbuticis ſæpenumero evadit immodicus, quibus non raro etiam hic morbus ſterilitatem inducit, & obſervata fuit fœmina ſcorbutica per VII. annos ſterilis, cum ab hoc morbo curata eſſet, concepiſſe.

Fatigant quoque ægros hæmorrhagiæ ſeroſæ, fiuntque à ſale lymphæ immerſo, & ſanguinem fluidiorem reddente, bilioſo charactere alcalino ipſas ſæpe juvante.

Hæmorrhagiæ hæ ſæpe ſunt coactivæ, & ab obſtructionibus provenientes, quod φαινόμενον ſpleneticis, cachecticis & hydropicis aliàs ſolenne eſt.

Hæmoptyſin etiam patiuntur, floridumque ſangvinem cum tuſſi rejiciunt: exſolvuntur in animi deliquia & lipothymias.

Præ aliis etiam ſcorbuticos affligit arthritis vaga, quæ hinc ſcorbutica dici conſuevit, cujus dolor eſt ambulatorius, & in ſimilitudine partium ſæpe radicatur, uti in genere, quæcunque partes inter ſe communicant, facilè transmutant dolorem: ſæpe etiam eſt arthritis fixa ſpuria ſcorbutica. Excipit eam frequenter Paralyſis, & contractura ſcorbutica vel in manibus vel in pedibus, idq; promiſcuè in infantibus, adoleſcentibus & ſenibus.

Sic quoq; aſſociant ſe ſcorbuto Pleuritis, quæ tamen minori gradu & minoribus accidentibus à verâ diſtinguitur, Nephritis, Affectus Iſchiadicus, Diabetes, Pollutio nocturna & Gonorrhœa.

Alvi obſtructio aliquando tanta eſt, ut vix quarto vel quinto die reſeretur, è contrario aliquando alvi fluxus urget, tam diurnus, quam nocturnus.

Vomitus in nonnullis inſignem moleſtiam creant, qui præter rationem remittunt, & præter ſpem ex improviſo recurrunt. Sunt vero iſti modo ſimplices, modo ſtraminei, paleares, nigricantes, ſebacei, ſæpius quoque acidi, ut etiam *αἱμωδίαν* ſeu ſtuporem dentium producant.

Obſervantur in quibusdam nunc ſpaſmi flatulenti, nunc ſpaſmi ſcorbutici, ubi peregrino acore ſerum fibrulas morſicat, & conſequenter immania ſæpè & moleſtiſſima ſymptomata inducit, imò non raro incurabilia & *συναποθνήσκοντα*.

Sæpius dura & varicoſa tubercula in toto corpore excreſcunt, qualia etiam in pulmonibus poſt mortem diſſectorum repertafuêre.

Quosdam Epilepſia exercet, alios ſymptomata alia dira & diuturna, ut & aliquando incantati habeantur ægroti.

Quibusdam exoriuntur tam in aliis partibus, quam præcipuè in cruribus ulcera, plerumque ſicca, maligna & contumacia, quorum repulſus & intempeſtiva conſolidatio non rarò noxam poſt ſe trahit, inprimis etiam antiqua coëuntia male cedunt.

Viſuntur etiam in quibusdam inflammationes ſcorbu-

ticæ ſpuriæ,& ſuppurationem abnuentes,quin & Gangræna ſcorbutica præcipuè ſiniſtrum crus corripit,aliquando etiam viſcera ipſa corruptionem ſubeunt & gangrænoſa evadunt.

Præ aliis communiſſimum malum ſcorbuticis eſt ſudor copioſus, quo ægri totâ nocte diffluunt, qui ſudor plerumque conjunctus eſt cum hecticâ ſymptomaticâ ſcorbuticâ, cum pulſu frequenti & marasmo.

Sudor etiam non rarò viſus fuit cruentus,concurrentibus tum vaſorum rarefactione, tum ſanguinis tenuitate & ſeroſitate nimiâ, quod φαινόμενον ſcorbuticis plethoricis familiare eſt, qualem ſudorem cruentum,& linteamina rubello colore tingentem in fœminâ ſcorbuticâ ſe vidiſſe Magnificus Dominus Præſes, nunquam ſine maximi honoris præfamine mihi nominandus,in lectione publicâ profeſſus eſt; A quo tamen ſudor θερμβώδης omninò eſt diſtinctiſſimus & ſupernaturalis. Aliquando ſudor obſervatus fuit arenoſus, ſæpius etiam fœtidus.

Plura ſymptomata, in quæ ſeſe transformat doloſus hîc Vertumnus,recenſentur apud Autores, qui fuſius ejusdem genium & mores deſcripſerunt.

Symptomatum autem horum tàm multiplex ac diverſimoda varietas à temperamentorum , diſpoſitionis viſcerum, & ſalium tum ipſorum,tum ſeri,ceu vehiculi,majoris vel minoris copiæ, tum bilis concurrentium & mixtorum diversâ ratione optimè deduci poteſt.

CAPUT IX.

De Signis Prognoſticis.

SIGNA,quæ ſalubrem vel inſalubrem eventum prædicunt, verſantur circa 1. ſalutem & mortem. 2. Morbi longitudinem & brevitatem. 3. Modum eventus.

Scorbutus eſt morbus lentæ terminationis,modo ad ſalutem,modo ad mortem,neceſſe itaque eſt , ut Medicus circa πρόγνωσιν hujus morbi prudenter ſe gerat,& ſi usquam ſane

hîc circumſpectè pronunciare debet; neque etiam, ſi non ex voto omnia ſtatim ſucceſſerint, deſiſtere, nec ſecurum nimis eſſe convenit.

Variat autem Prædictio SALUTIS & MORTIS 1. ratione GENERIS: Omnis ſcorbutus recens facilius curatur antiquo, ob viſcerum, quæ in conſenſum traxit, corruptiones; neque ſemper, quæ altas egêre radices, per medicamenta validiſſima aggredienda, ſatis eſt ſi tales vivere poſſint ſuo modulo, licet non reddantur ſaniſſimi; levibus non moventur, fortibus verò irritantur & ſubruuntur.

Scorbutus hæreditarius nunquam curatur perfectè, adeſt enim & inhæret ſemper cauſa congenita, & nativa viſcerum ad expellendum hoſtem infirmitas ac impotentia.

2. Ratione SUBJECTI: Periculoſior eſſe ſolet ſenibus quàm juvenibus, in his enim calor nativus adhuc robuſtus vincere facilè poteſt luem hanc vitioſam, quæ in illis jam debilitatum ac ferè exhauſtum haud difficulter opprimit & ſuffocat.

Majus periculum imminet ſcorbuticis obeſis quàm macrioribus: Citius exitium parat hic morbus ſexui ſequiori & delicatiori, præcipuè iis, quæ ſteriles ſunt, & quibus menſtruæ purgationes ſubſiſtunt.

3. Ratione CAUSÆ: Expeditius ſanatur ſcorbutus frigidus, quàm calidus: Gravior eſt, qui cum aliis morbis v. g. febre ſe conjungit, quàm qui per ſe exiſtit, in mixtis namque opportunum remedium invenire difficile eſt.

Levior etiam habetur, qui ab aëre & victu dependet, qui facilius corrigi & immutari poteſt. Difficulter autem curatur, qui à contagio dependet.

LONGITUDINIS & BREVITATIS ratione cum chronicus ſit morbus, ipſa natura affectus indicat, non tàm citò abſolvi poſſe curationem, quin potius temporis intervallum longius requiri, ut amiſſum corporis robur rurſum acquiratur, & viſcerum fermenta depravata priſtino ſuo vigori reſtituantur. Brevior autem erit ſcorbutus diætæ errore contractus reliquis ſpeciebus, facilius ſiquidem diætæ errores corrigi, & in melius verti poſſunt.

Quoad MODUM EVENTUS, ad ſalutem hic affectus tendit tardo ac lento gradu, diſcuſſo fomite: ad mortem duplici modo, longo & brevi: priori modo per cachexiam, hydropem, atrophiam,: poſteriori, per apoplexiam, epilepſiam, ſyncopen, ileum, gangrænam &c.

CAPUT X.
De Methodo Medendi.

COgnitâ eſſentiâ & naturâ morbi, cognitisque cauſis atque ſignis ad CURATIONEM ipſam nos jam accingimus, quam ut ritè inſtituamus, indicationum beneficio certa & convenientia medicamenta inveniri debent, quæ morbo opponantur. Sunt autem indicationes tres: curatoria, præſervatoria & vitalis.

CURATORIA in eo occupata eſt, ut morbum radicitus, quantum fieri poteſt, è corpore extirpet, illudque integræ reddat ſanitati: illud præprimis obſervando, ut pro diversâ morbi ſpecie, gradu & conditione, modò calida, volatilia & acria, modò acidula, temperantia & diluentia adhibeantur.

PRÆSERVATORIA cauſas morbificas ubi ubi latentes reſpicit, easque per contraria alterandas & evacuandas docet.

VITALIS omnes corporis partes roborando vires ægri conſervare intendit.

Ut autem hiſce indicationibus ſatisfieri poſſit, ex triplici medicæ ſalutis fonte Chirurgico, Pharmaceutico & Diætetico auxiliorum materia haurienda eſt.

CAPUT XI.
De Chirurgia.

PRimo loco ſe offert VENÆ SECTIO, quæ licet valde heroicum ſit remedium, in præſenti tamen affectu non promiſcuè adhiberi debet. Niſi enim vel plethora, vel febris,

vel alia quædam circumſtantia eam urgeat, potius ab eâ abſtinendum eſt.

Sicubi autem illa adminiſtranda eſt, venarum delectum, ſanguinis educendi tempus, quantitatem, ac modum pro indicationum varietate Medicus Rationalis facilè determinabit.

Commodè etiam non rarò venæ ſectionis vicariæ CUCURBITULÆ cum & ſine ſcarificatione in uſum trahuntur, ſi quæ indicationes id jubeant, cavendum tamen, ne quid nimis, detractione enim largiori morbus augetur.

HÆMORRHOIDUM apertio in adſuetis non leve etiam afferet emolumentum.

FONTICULI hic etiam proficui ſunt, qui perenniter & ſenſibiliter ſerum acre copioſius è corpore educunt, & in fixâ æquali inflammatione ſcorbuticâ fervidiorem ſanguinem aliorſum divertunt.

CAPUT XII.
De Pharmaciâ.

PHARMACIA, ceu locupletiſſimum medicamentorum neceſſariorum promptuarium, ex triplici Regno remedia ſuppeditat, quæ humores quantitate, qualitate & motu peccantes evacuare & alterare, obſtructiones reſerare, & viſcerum fermenta depravata ad ſtatum naturalem reducere valent.

Præmittimus autem LENIENTIA, quæ ſulphureâ mucilagine villos laxando, vel virtute ſalinâ mitiori fermentativâ ſtimulando alvum leniter emolliunt, corruptamque materiam ad exitum diſponunt.

Ex horum numero ſunt *rad. alth. malv. glycyrrhiz. fol. alth. atripl. parietar. branc. urſin. mercurial. flor. acac. melilot. verbaſc. ſem. lini, fœni græc. aniſ. fruct. caricæ, paſſul. pruna. ſebeſt. caſſia, manna &c, Pilulæ lenientes aloëticæ, de fumar. 🜿eæ, ſirup. roſar. ſolut. de 2. & 5. radic. de cichor. cum rhabarb. electuar. lenitiv. diacatholic. Tinct. 🜿ri, Anima rhabarb. pil. Splenet. Sylv. 🜿 🜖latus, ⦶ ☿iat. &c.*

Factâ

Factâ ſic primarum viarum lenitione ad PRÆPARANTIA devéniendum, ſi materia peccans nondum ſit ſatis ad evacuandum diſpoſita. Proderunt huic ſcopo *radic. V. aperient. major. & minor. acetoſ. cichor. helen. polypod. pimpinel. trifol. fibrin. herb. fumar. abſinth. fragar. capill. ♀, agerat. calaminth. cuſcut. epithym. hepat. nob. & alb. naſturtium omne, beccabunga &c. Flor. hepat. nob. bellid. cichor. ſummit. fumar. centaur. min. flor. borrag. bugloſſ. betonic. roſar. ſem. acetos. citr. carminat. lign. ſaſſafr. guajac. cort. cappar. tamariſc. fraxin.* ▽ *cichor. hepat. nob. volat. acetoſ. fumar. polychreſt. Rolfinc.* 🜝*us aperitiv. Penot. cochlear.* ⊖*is,* ☿*ri,* ⊕*li, Clyſſ.* ♁*ii,* 🜝*us* ⊕*li* ♂*tis,* ⊖*lis* ✱*ci, eſſentia abſinth. compoſ. centaur. min. fumar. ſimplex & compos. Tinct.* ♂*tis cydoniat. pomat. volat. aperitiv. Mœbii,* ☿*ri Arcan.* ☿*ri, elixir propr. Parac. aromat.* ♂*iale, antiſcorbutic. alcalic. Tinct.* ♂*tis* ☉*ris, Sirup. diaſer. Andernac. de V. radic. byzant. Pil.* ☿*eæ Querc. Pulv. ſtomach. Querc. Cachect. cinnabarin.* ☿*eus Dn. Præſidis, hepat. rubr. Dresd.* ☿*rus* ⊕*lat. Crem.* ☿*ri, Cryſtall.* ☿*ri,* ☿⊕*lat. croc.* ♂*is aperit. cum ſalibus, ſacharinus,* 🜍*atus*, ex quibus variæ formulæ pro lubitu & ratione circumſtantiarum fieri, quædam etiam per ſe exhiberi poſſunt.

Præparantibus ſuccedunt PURGANTIA, quæ pro humorum diverſitate variari debent, modò mitiora, modò fortiora, ſecus enim ſæpe eundem magis exaſperant, & ægros in præſentiſſimum vitæ periculum conjiciunt. Vitari itaque debent *elaterium, helleborus, eſula, colocynthis, euphorbium, & ſimilia*: in uſum potius vocanda ſunt temperatiora, *ſena, rhabarb. gialap. agaric. mechoac. &* inde paratæ *ſpec. diagal. diaſen. pulv. laxat. veget. cerberus triceps, extract. agar. rhabarb. panchymag. Croll. catholic. Andern. M. P.* ☿*ear. Querc. de* ✱*co ejusd. de hier. cum agar.* ☿ *dulc. pulp. tamarind. caſſ. mann. electuar. lenitiv. cathol. ſir. de cichor. cum rhabarb.* Conveniunt tamen hæc ex obſervatione Practicorum magis in formâ humidâ, quam ſiccâ.

Heroicum etiam remedium, & ad evacuandam materiam peccantem in primis viis reſtitantem apprimè utile, præbent VOMITORIA. Talia ſunt *aſarum,* ⊖ ⊕li, *crocus metall.* ☿ *vitæ, vitrum* ♁, & præ reliquis omnibus laudandus ☿*us emetic,*

Mynſ.

Mynſ. ad g. ij. vel iij. cum ☿io *diaphoret.* vel alio quopiam pro lubitu miſcendus, & in convenienti vehiculo exhibendus: item *ſyrup. emet. Ang. Sal.* ad ℥ß. in vehiculo appropriato, *infuſ. croc. metallor.* ▽a *benedict. Rulandi.*

Videndum autem, quibus exhibeantur vomitoria, an adſit habitus athleticus, & ad vomendum proclivitas, an verò conſtitutio ſit tenerior, & ad vomendum indiſpoſitio, hi enim poſteriores minus ferunt vomitoria, cum tamen prioribus cum ſucceſſu propinentur.

Clysteres etiam uſum inveniunt, qui præcipuè parantur ex ſpeciebus emollientibus, non rarò & carminativis, adjectis lenientibus, abſtergentibus, ſtimulantibus.

Diaphoretica, impuritatum ſangvinis panacæa, conveniunt, quando vitioſi humores per minimos cutis poros diſcutiendi ſunt, quod ſalinâ ſuâ rarefactivâ tum ſolâ, tum ſulphureâ vi præſtant.

Eminent inter hæc *lapis bezoar orient. & occident. CC. phil. unicornu utrumq., bolus Armen.* ♈*us card. ben. CC. eboris, viperar.* ⊖✳*ci,* ♀*ri, mixtur. ſimpl. Tinct. bezoard. diaſcord. Fracaſt. theriac. cœleſt. extract. card. ben. ſcorzon. pilul. theriacal. pulv. bezoard. Senn.* ⊖ *abſinth. centaur. min.* ☿*ium diaphor, bezoard. animal. mineral.* ♂ *tale, flor.* ✳*ci &c.*

Cauti tamen eſſe debemus in diaphoreticorum propinatione, quod in humorum lentore & cruditate fere minus proficiant, quin non rarò nocent, præterquam humectantia.

Diuretica ſalino & aqueo ſuo principio ſaburram hanc ſcorbuticam per ureteres & vias urinarias commodè è corpore eliminant. Talia ſunt *lap.* ♋. *cochimilia, ſuccus betulæ, malvat. juniperin.* ♈ *us aperit. Penot. frager. junip.* ⊖*is,* ⦶*ri,* ♀*ri, terebinth. clyſſ.* ☿*ii, Tinct. aperitiv. Mœbii, roſar.* ♀*ri ſimpl. & compoſ. ſilic. Glaub. Arcan.* ♀*ri, balſam.* ♃, ♈*um terebinth. rob. alkek. lap. prunell. pilul. de terebinth.* ⊖ *abſinth junip. ononid. fabar. petroſel. ſuccin. volat.* ⦶ ☿*iat. Arcan. duplicat. &c.*

Acidulæ & Thermæ in ſcorbuticis ſymptomatibus ultimum & ſatis quidem conveniens remedium eſſe ſolent, modo viſce-

viſcera benè habeant, viresque conſentiant. Cavere namque ſibi debent ab acidulis, qui pulmones & viſcera debilia minusque ſana poſſident, vel etiam frigidiores ſunt, & ad cachexiam inclinant, ſicuti thermas fugere convenit, in quibus lympha deficit. Pollent nimirum acidulæ ſale ⦶ſo ⊖lato, thermæ vero alcalino, & hinc per ſudorem, urinam & quandoque etiam per alvum operantur.

Nec omittenda ſunt Opiata, quæ Scorbuto optime debentur, ligant enim ſerum laxius, freno egens, & temperantia ſæpe ſunt optima, quorſum ſpectant & Cinnabarina.

CAPUT XIII.

De Specificis.

MErito ſuo inter hæc referuntur, quæ chyli aërofin procurant, putrilaginem uliginoſam torpidam ſanguinis, vel ejusdem rarefactionem bilioſam & alcalinam corrigunt, ſalia acida vel alcalia ♀ea è maſsâ ſanguineâ averruncant, humorum & ſpirituum ςάσιν expediunt, fixitatem tollunt, lentorem emendant, ſaturant, præcipitant, acrimoniam verò figunt, diluunt & temperant.

Ex ſimplicibus recenſentur *radic. acetoſ. apii, aſari, ari, calam. aromat. cichor. galang. eryng pſeudomyrrhid. raphan. hortenſ. & ruſt. fœnic. ruſc. petroſelin. rub. tinctor. tarax. chelidon. maj. & min. gramin. filic. fragar. curcum. chin. ſarſæparill. ſcorz. trifol. fibrin. Herbæ cerefol. acetoſ. abſinth. agrim. aſplen. beccabũg. nummular. chelidon. min. card. ben. chamæpit. cochlear. lingv. cervin. milzadell. piperitis, ſedum minim. duplex, acre & inſipidum*, quod in quibusdam inferioris Saxoniæ locis reperitur, *naſturtium omne, Indicum, noſtras, aquaticum, hortenſe, fumaria, herba Britannica*, quâ de elegantiſſimũ Tractatum edidit *Muntingius, geran. Robert. hepat. nob. ſinap. thee. Flores borrag. bugloſſ. galiopſ. aquileg. malv. arbor. ſummit. pini, fungus in Thuringia creſcens*, & à cervo nomen habens, qui ſaporem acriuſculum exhibet, & loco alimenti & medicamenti inſervire poteſt. *Sem, ammios, aniſ. eruc. 4. frig. maj. ſeſel.*

Fruct.mala aurantia acida, citria, cappares,bacc.juniper.laur.piper.Cort. cappar.tamarisc.Gumm.ammoniac,lacca,myrrha, lac,lumbrici,chalybs & Martialia,quæ ſacra anchora ſunt in hoc morbo, & aperientium apicem conſtituunt, naturam non urgent,ſed roborant, acidum abſorbent,non violenta,ſed moderata ſunt, & pro diverſitate præparationis omni ſcorbuti ſpeciei quadrant. ▽ *antiſcorbutica Sennert.Dorncreill.*🜍 *⊖li, cochlear.non quidem cum fermento panificum,ſed vel per fermentationem cum fecibus vini, vel quod optimum cum 🜄 ex recentibus foliis, ſeu ſimplex, ſeu compoſitus, ſeu volatilis paratus,antiſcorbutic.Rolf. Mich. lumbricor.terreſt. eſſentia pini, ⊖li ♂is Ludov. ♂is antiſcorb.abſinth.antiſcorb. viperar.perſicar.elix. antiſcorb. Rolf.propriet.antiſcorb. ♂iale, Tinct.corall. antiſcorb. ♂is abſinth.antiſcorb.nigr.balſamica, crocea,cydoniata,duplicata,hypochondriaca,ſolaris,♀riſata,temperata,volatilis,antiphthiſica,& ♀riſata,compoſita, Arcan.♀i, mixtur. ſimplex antiſcorbutica,Vitriol.♂is, ☿ dulc,croc.♂is ſcorbuticus,tragema ſtomach. Querc.pulvis cachect.antiſcorb.trochiſc. de viper.theriac.mithridat.ſirup byzantin.ſceletyrb.Foreſt.chamæmor. Norweg.Conſerva cochlear.fumar.electuar.chalybeat.pil. ♀eæ, ſplenet. Sylv. unguent.de aquileg.decoct.calc.viv.lap.medicament.▽ virid Hartm.*

De medicamentis his ſpecificis notandum, quod non ſint ſpecifica, niſi quatenus a Medico diriguntur, promiſcuè enim uſurpata tantum abeſt,ut ſpecifica ſint, ut noxam ſæpiſſimè inferant, & ſymptomata ſcorbutica exacerbent, quod à volatilium promiſcuo uſu ſæpe obſervatur, quæ calorem accendunt, humores,ſangvinem,ſpiritus in motum efferant,ut ægroti in anxietates exſolvantur,quod etiam teneriores à tincturâ martis cum ſpiritu cochlear. paratâ experiuntur.

Superius itaque inculcata differentia inter ſcorbutum calidum & frigidum ſemper eſt attendenda, & ſuo quælibet ſpecifica reſervanda & applicanda ſunt affectui: Frigido ſcilicet ſalia volatilia, tum ſibi relicta & unita adhuc in plantis antiſcorbuticis,amaricantibus, aromaticis, tum ſeparata & fixa: Calido vero acida, quæ ſalia lixivioſa abſorbent, coagulum reſolvunt, omnemque bilioſam effervescentiam & rarefa-

refactionem obtundunt, item abſorbentia, quæ lympham corrigunt, diluentia & temperantia.

Ex his ſpecificis pro ſubjecti, affectus, & medicamenti ipſius genio varia componi poſſunt medicamenta & medicamentorum formulæ, modò id obſervetur, ut vires integras ſervemus, nec eas per inconvenientem præparationem accidamus & imminuamus.

Sic ex antiſcorbuticis ſalia fixa per incinerationem non parantur, nec calcinationi uſitatæ quadrant, acidi ſiquidem expertia & magis volatilia ſunt.

Neque decocta antiſcorbutica ſimpliciter vel admittenda vel rejicienda ſunt: Antiſcorbutica enim volatilia non benè decoquuntur, optimè verò balſamica, ut ſummitates pini.

Si vero etiam volatiliora decoctioni ſubjicere animus ſit, id etiam optimè fieri poteſt, ſi decoctio inſtituatur levi igne & imperfecta, exemplo raphani ruſticani, item in vaſe clauſo, non aperto, ubi ſimul notandum, maxime proficua etiam eſſe in ſcorbuto decocta pugillaria, pro novo charactere balſamico ſangvini introducendo.

Circa ſuccos antiſcorbuticorum, quibus nonnulli plurimum hodiè tribuunt, obſervandum eſt, eos quidem cum ſero lactis caprini, vino veteri, vel decoctis recens expreſſos exhiberi poſſe, adhibitâ tamen debitâ cautione, ne ventriculo noceant, & cruditatibus feneſtras aperiant.

CAPUT XIV.

De Diæta.

SUpereſt fons tertius Diæteticus dictus. DIÆTÆ ſiquidem tanta eſt neceſſitas, ut ſi ea negligatur, reliqua medicamenta, etſi ritè ac dextrè applicata fuerint, effectum tamen ſperatum edere nequeant, quam ob cauſam *Hippocrates* ju-

ramento præcepit, ut victus rationem habeat Medicus in curatione morborum, quantum viribus & judicio valeat.

Consistit autem hæc DIÆTA in sex rerum nonnaturalium legitimâ observatione.

AER itaque sit purus, lucidus, serenus, temperatus, & si natura talis non detur, artis beneficio talis paretur, facto suffumigio ex *thure, mastiche, succino, ligno aloës, benzoe, myrrhâ, styrace calam. rosmar. bacc. junip &c.*

E re etiam fuerit, non semper domi desidere, sed nonnunquam in loca campestria prodire, & mutationem aëris instituere, plerumque enim aër domesticus est calidior, impurior, compressior & crassior.

MOTUS sit moderatus, nec excedat nec deficiat, magis instituatur ante prandium vel cœnam, ut calor excitetur, & assumendus cibus melius coquatur: post pastum vero à motu fortiori abstinendum, ne concoctio turbetur, chylus adhuc crudus in vasa præcipitetur, & obstructiones mesenterii pluraque alia mala corpori inducantur.

Eædem mediocritatis leges observandæ sunt in capiendâ QUIETE, ut eâdem corpus laboribus defatigatum recreetur, non vero ejusdem excessu torpescat, langueat, & corrumpatur.

SOMNUS & VIGILIÆ justâ & debitâ proportione inter se alternent: Vigiliæ non durent in seram noctem, nec somnus in medium usque diem protrahatur. Interim somno meridiano non cuilibet promiscue interdicendum est.

CIBUS & POTUS respiciunt Quantitatem, Qualitatem & utendi modum.

Ratione *Quantitatis* sit mediocris, tantum assumendum, quantum viribus reficiendis sufficit, & quantum ventriculus ferre potest. Definiet autem optimè hanc quantitatem αἴσθησις τοῦ σώματος, *naturalis corporis sensus.*

Quod si vero majori quantitate ingeratur cibus & potus, ventriculum gravat, calorem ejusdem obruit, fermentum hebetat, cruditatibus & inde emergentibus malis fores pandit.

Ratio-

Ratione *Qualitatis*, eligantur cibi εὔχυμοι καὶ εὔπεπτοι, qui bonum corpori subministrant alimentum, non sint viscidi, non acidi, non flatulenti, non nimis saliti, aut fumo indurati, nec nimis saccharati.

Quoad *modum utendi* præmittantur calida frigidis, duris mollia, ut facilior fiat contentorum propulsio, caveatur inordinata ciborum varietas, excessus etiam quivis vel in cibando vel potando vitetur.

Panis in specie sit ex farinâ purâ, non adeò vetustâ, siccâ, paratus, probè fermentatus, benè coctus & ætate medius: Absint verò placentæ & similæ non ritè fermentatæ, quæ difficulter coquuntur.

Pisces rarius apponantur, parum enim nutriunt, & pituitam multiplicant; si verò appetitus in eos feratur, eligantur saxatiles, in aquis purioribus & arenosis viventes, lucii, salmones, percæ, gobites barbatulæ &c.

Edantur carnes recentes, teneriores & delicatiores, vitentur è contrario veteres, duriores, bubulæ, nec non suillæ. Magni æstimantur perdices, attagenes, phasiani, capones, columbæ silvestres &c.

Parari possunt mustardæ & acetaria ex herbis antiscorbuticis, endiviâ, scariolâ, acetosâ, cochleariâ, nasturtio, beccabungâ, cerefolio, capparibus, rad. raphan. rustican. sinapi, mitescunt enim acria volatilia tum coctione, tum acidis figentibus, tum pinguium additione, exemplo lepidii.

E fructibus in usum veniant poma citria, aurantia, limonia, borsdorffiana, pruna Ungarica &c.

Vinum sit generosum, suave, lene, maturum, spirituq; pollens, quale est Rhenanum, Neccarinum, Mosellanum & Francicum; ubi verò calorem sanguinis præsentem magis intendere, motumque ejus & rarefactionem promovere potest, plane exulare debet, nisi sit ὀλιγοφόρον.

Cerevisia sit benè defecata, non nimis recens nec vetusta nimis & acescẽs, cum aquâ laudabili cocta, & lupulo benè condi-

ta. Macerari in eâ poſſunt abſinthium, fumaria, carduus benedictus, ſcolopendrium, caryophyllata. &c.

E lacticiniis concedi poſſunt ſerum lactis & oxygala, quæ abſtergunt, humectant & refrigerant.

EXCRETA & RETENTA ad naturæ leges ſunt componenda. Hæmorrhoidum & menſium fluxus non immaturè ſiſtendi, & ſi ſubſiſtant, in tempore ſunt promovendi.

Alvus aperta eſt tenenda, ut quotidiè ingeſtis reſpondeat, ſique pigrior evaſerit, arte officii ſui eſt admonenda.

Inter ANIMI PATHEMATA cane & angve pejus vitari debent mœror, triſtitia & ſolicitudines, opera potius danda eſt gaudio moderato, jucundis converſationibus & aliis licitis hilaritatibus. Muſica quoque ſive vocalis ſive inſtrumentalis in pretio habeatur.

Caveantur profundæ cogitationes, & protractæ in mediam noctem lucubrationes. Æger impatientiam exuat, erigat autem animum, ſeque Medico morigerum præbeat, præ omnibus autem ſupplici corde DEUM veneretur, ut medicamentis benedicere, eorumque uſum auſpicatum eſſe dignetur, cui ſoli ſit laus, honor & gloria in ſecula.

F I N I S.

Clarissimo Doctorando

S. P. D.

GEORG. WOLFFG. WEDELIUS.

MEritò Tuis studiis gratulor, cum & perfecta eadem & probè maturata noverim. Nihil intermisisti eorum, quæ ullo modo accessionem fœnerari poterant, quæ tingere ingenium magis, & ad solidam eruditionem pertinere.

Non unâ celeberrimâ Academiâ sed pluribus scrutatus es naturæ arcana. Cordi Tibi fuêre Floræ deliciæ, cum oculorum panegyri stellata lustrares tempe. Anatome delectatus es impensè, nec curiosæ inquisitioni viscerum, nec ulli occasioni hæc talia videndi Te subtraxisti.

Quid de chimiâ dicam, quid de aliis artis partibus, quas solidè emensus es? Et in noscen-

noſcendis & impendendis arcanis occupatus fuiſti, ad praxin clinicam, genuinam illam, adſuefactus, ſelectu medicamentorum, ſelectu formularum, & quod maximum eſt, medendi methodi exercitatus.

Accedit animi candor & gratitudo, quæ ſpirant ex fertili non minus ac moratiſſimo ingenio, quæ cum à meis requiram, apud Te inveni & utraque & cumulata.

Quare non poſſum niſi optimè ominari de ſtudiis illis Tuis laudatis. Præmia jam & honores capeſſis meritiſſimo Tuo, non deerunt verò inſigniora ornamenta, quæ omnis boni dator Deus Opt. Max. largiſſimo & uberrimo fœnore in Te effundet.

Ea omnia ut feliciſſimè eveniant, & iter, quod meditaris, ad fortunæ illum portum Tuum, proſperrimè ſuccedat, ex animo precor!

Dab. è Muſeo, in Athenæo Salano,
M. DC. LXXXVII.
D. XVI. JUL.